

TERRITORIUM
RHODIGINUM,
vernaculè
POLESINO DI ROVIGO.

Fines.



Erritorium Rhodiginum inter Padum & Athesim ab oriente habet partem ducatus Veneti, à meridie Ferrariensem Ducatum, ab occidente agrum Veronensem, & à septentrione Patavinum

Ager.

territorium. Ager majori ex parte lacunis valibusque palustribus occupatur, alias frumenti fertilissimus.

Rhodiginum.

Rhodigium (inquit Cælius Rhodiginus, qui maxime eam illustravit) est metropolis regionis ejus, quam inter Padum Athesimque positam Policinum vulgo dicunt, Cheronesum Græci, sed & Latini nuncupant. Interluit Plinii testimonio nobilis Tartarus. Apparent multis locis Philistinæ fossæ vestigia; cujus est apud eundem mentio. durat etiam nomen, sed paulum luxatum, qui vetustatis mos est, Pistrinam dicunt. Flagrante bello inter Pontif. Max. Julium & Rempublicam Venetam, Rhodigium ademptum fuit Julio Pont. & Venetorum ditioni additum. Adempta & oppida duo juris Rhodigini, Lendenaria, & Abbatia vulgo *La Badia*; ademptus & agrorum numerus magnus, qui fertilitate ac frugum bonitate certant cum optimis quibusque: ut non minus vere dici possint Italiæ sument, quam olim Rosæ campos dixerat Vopiscus Cæsar.

Adria.

Est præterea in territorio hoc vetustate atque potentia quondam maxime conspicua urbs, *Atria* prius dicta, dein *Adria* atque *Hadria*; quæ vulgo nunc etiam vocatur *Adria*, & plerumque *Adri*; exiguæ veteris oppidi reliquæ, piscatoribus & id genus hominibus habitata; quamvis episcopali sede hodieque clara sit.

Stephani brevior eam Diomedem, naufragio seu tempestate in ea loca delatum, condidisse tradidit. è diverso Trogo Adriam quidem Græcam appellat urbem, sed non à Diomede conditam: à quo Arpos, sive, ut ab initio dicebatur, Argos Hippium, Apuliæ Dauniæ urbem, ea occasione exstructam adfirmat. Varro Atrium appellatum ab Atriatis Tuscis dicit; ut & Plinius, Livius, alique. Oppidanus atque adcola inde dicitur *Hadrianus*, *Hadriates* & *Hadriensis*. In plerisque auctorum exemplaribus sine aspiratione nomen illud perscriptum reperitur: in quibusdam vero cum aspiratione. Atque hoc modo cum in omnibus lapidibus & numismatibus antiquis Imperatoris *Hadriani* nomen scriptum sit; certum est aspiratione ut plurimum in hoc vocabulo usos fuisse Romanos. Prima ejus formatio per *t* Atria sine afflatu usurpata videtur, quia *Atrium* etiam, quam vocem Varro ab ejus oppidi nomine deducit, sine spiritu scribitur. De cætero nobilem fuisse ad Hadriam portum, testis est Plinius. idem attestatur etiam antiquus Horatii commentator. & hinc Tacitus Historiarum lib. III: *Bassus, honorata custodia Liburnicis navibus Hadriam pervectus, à præfecto alæ Memnio Rufino, præsidium illic agitante, vincitur.* Scilicet tam nobilis, Tuscis etiam dum incolentibus, hic fuit portus, uti cognomen inde proximo Mari imposuerint *Hadriatico*: quum ejus opportunitate atque beneficio omne id mare suæ potestati subjecissent. eodem plane modo quo hodie idem mare ab urbe Veneta *Golfo di Venezia* dicitur. Portum autem sive subvectionem navium ad Hadriam oppidum præbebat fluvius cognominis, *Hadria*, Ptolemæo *Atrianus* dictus. Quod antiquissimum nomen sive cognomen *Hadria* postmodum fluvius mutavit in vocabulum *Tartari*, quod hodieque obtinet, vulgo adcolis *Tartaro* dictus.

Portus.

Tartarus
fl. olim
Adria.

Italia.

O o